

D I S S E R T A T I O  
INAUGURALIS HISTÓRICO - NATURALIS  
EXHIBENS  
**ENUMERATIONEM**  
**P L A N T A R U M**

IN TERRITORIO QUINQUE - ECCLESIENSI

S P O N T E C R E S C E N T I U M  
P R A E M I S S O T R A C T A T U G E N E R A L I

D E  
**NATURA GEOGNOSTICA MONTIUM,**

D E Q U E  
**SITU CLIMATE ET VEGETATIONE EJUSDEM REGIONIS**

Q U A M -

C O N S E N S U ET A U C T O R I T A T E M A G N I F I C I D O M I N I P R A E S I D I S  
AC D I R E C T O R I S , S P E C T A B I L I S D O M I N I D E C A N I , N E C N O N  
C L A R I S S I M O R U M D O M I N O R U M P R O F E S S O R U M I N A L M A AC  
C E L E B R I R E G I A S C I E N T I A R U M U N I V E R S I T A T E P E S T I E N S I P R O  
O B T I N E N D O D O C T O R I S M E D I C I N A E G R A D U .

C O N S C R I P S I T

**C A R O L U S M A X . N E N D T V I C H ,**

H U N G A R U S Q U I N Q U E - E C C L E S I E N S I S .

---

Theses adnexae publice defendentur in palatio Universitatis  
minore die Januarii 1836.

---

B U D A E ,  
T Y P I S R E G I A E S C I E N T . U N I V E R S I T A T I S H U N G A R I A E .

Mur die Natur ist redlich! Sie allein  
Liegt an dem ew'gen Aufergrunde fest,  
Wenn alles Andre auf den sturm bewegten Wellen  
Des Lebens unstat treibt.

Schiller.

Rem patriæ, cum possis, non illustrare, nesas.

Baumgarten.

P A T R I S U O

DILECTISSIMO AESTUMATISSIMOQUE

IN AETERNUM

GRATITUDINIS PHIQUE ANIMI

MONIMENTUM

POSUIT

Auctor.

## Dilecte Parens!

Quid unquam dulcius mihi optabiliusque contingere potuissest, quam, ut absoluto longo et laborioso studiorum meorum cursu, actu hocce solenni, quo in clarissimum salutaris medicinae Doctorum coetum recipiar, tot tantorumque annorum laboribus coronam veluti imponam. — Quanto cum desiderio, quanta cum impatientia quisque nostrum splendidum hoc vitae suaे momentum exoptat; quo omnibus vinculis solutis universum mundum amplitudine sua sibi patere, sufficientemque ardenti activitatis suaे studio sphaeram subministraturum sibi imaginatur. — Cum vero res ipsa dein longe aliter intuenti se offerat, ac mens juvenilis sibi antea animo fingebat; nullus certe, nisi levissimus, sine interna animi anxietate,

futuraeque sortis sollicitudine gravissimo huic vitae suae momento obviam ibit. — Lex usu diurno sancita, solennitatem actus hujus tractatu aliquo super themate ex ampio et infinito scientiarum naturae campo desumto, exaltare, eumque, typis impressum, in publicam emittere lucein, idem a me quoque exigit. Selegi pro dissertationis meae argumento thema, quod Tibi, dilectissime Parens, gratissimum, tenuique virium mearum rationi maxime adaequatum fore, autumabam. — Consuetudo mera, quae plurimos impellit primis suis conatibus literariis nomen fautoris alicujus, quem sibi aut devincire, aut jam devinctum firmius obstringere conantur, praefigere, nequaquam et me determinavit hasce laborum meorum primitias Tibi dicandi. Animus praestitorum benefactorum libertate et amplitudine plenus, summusque gratitudinis sensus, ex imo corde profluens, unici et sinceri sunt actionum mearum et dedicationis meae fontes. — Quis enim et natura mihi propingvior, et beneficiorum praestitorum copia intimius mihi nexus esse potest, quam Tu, dilectissime Parens? qui omnibus meis, quae ad

salutem meam facerent rebus pro virium Tuarum ratione indesinenter prospicere, conatibusque meis omni ex parte consilio et ope Tua adesse satagebas. — Quod autem aliud tibi gratitudinis sensusque pii testimonium pro his omnibus reddere possum, quam teneras has industriae et laborum meorum primitias? quae quamquam et proprii Tui laboris, et ampliae Tuae, qua mihi succurrebas, in rebus botanicis experientiae signa non pauca ferant; tamen ab omni industriae et conatus mei vestigio nequaquam immunes sunt.

Accipe itaque dilectissime Parens pro innumeris his per integrum vitae meae decursum praestitis beneficiis tenuem huncce libellum in perpetuum, flagrantissimumque amoris, gratitudinisque monimentum, ea firma cum persuasionē, me ad seram usque, — si quae concessa foret — aetatem, amoris Tui, tantorumque in meritorum haud immemorem futurum, verū omnibus meis ingenii animique viribus in id intentum fore, ut amoris benefactorumque Tuarum amplissimorum quam dignissimum me praeistem. —

Nihil amplius ad dicendum mihi superest,  
 quam ut optima quaevis, et faustissima pro Te  
 munificentissime Parens a Superis exorem, qui-  
 bus Tuam in omnes Tuos liberos beneficentiam  
 et amorem indelebilem remunerari haud inter-  
 mittant. — Vale, et perge eodem amore ulti-  
 quoque amplecti

Dabam Pestini diebus mensis Decembris 1835.



gratissimum Tuum  
 obligatissimumque filium.

Dissertationem inauguralem medicam scribere adgradienti  
haud abs re videbatur, eas, quas per decursum studii medici  
in fertili, amoena, rerumque naturalium feracissima regione  
Quinque-Ecclesiensi colligere, investigareque poteram plan-  
tas sponte provenientes, calci dissertationis meae adne-  
xas publice typis edere; praemisso tractatu gene-  
rali de natura geognostica montium per uni-  
versum Comitatum protensorum, deque situ,  
climate et vegetatione regionis Quinque-Ec-  
clesiis finitimae.

Patrem autem dilectissimum, ejusdem urbis Pharmacopoeum, praeter alias naturae scientias praesertim et botanices studiosissimum, plurimum in hocce opere mihi adstitisse, libentissimus, gratissimusque profiteor; cum non modo loca plantarum ubi provenirent mihi indicaret, plurimisque meis excursionibus interesset: verum etiam amplio suo herbario mihi succurreret; sicque conamen meum non modo non parum adjuvaret, verum et perfectioni ejus multa adderet, quae im-  
perfecta secus et erronea opusculo irrepsissent.

Plantarum in amplio et respectu soli qualitatum diverso territorio urbis Quinque-Ecclesiensis collectarum merum nisi catalogum ordine alphabeticō comprehensum exhibeo; de-  
nominationibus earum secundūm principia celeberrimi nostri Professoris Sadler stabili-  
tis, adnexis tamen, ubi necessum visum erat nomen-

elaturis synonymis in aliis virorum celebrium operibus receptis et usitatis.

Quod in topographica et geognostica hujus regionis descriptione limites angustos, quibus opusculum continetur transgrediar, et brevem totius hujus catenae montium per integrum comitatum se protendentium adumbrationem exhibeam; ea est ratio, quod sistant tractum continuum non interruptum, partialem sui descriptionem nonnisi mancam et imperfectam admittentes.



---

## Brevis adumbratio topographico-geognostica Comitatus.

Situs est Comitatus Baranyensis in limite australi Hungariac, Slavoniae ad septemtrionem, inter  $45^{\circ} 34'$  et  $46^{\circ} 24'$  lat. bor. nec non inter  $35^{\circ} 32'$  et  $36^{\circ} 41'$  long. orient ab ins. Ferro. Intercipitur ad ortum et meridiem per Danubium et Dravam fluvios, qui unione sua angulum formantes Comitatum ex utroque latere amplectuntur. Ad occasum Comitatui Sümegiensi, ad septemtrionem Tolnensi conterminus est, a quibus nullo naturali limite sejungitur. Elevatio ejus maxima in Aquil-occidente est, unde inclinatio versus Euronotum ad planities Dànubii et Dravae, quas uterque fluvius multis anfractibus perfluit procedit. Ampla haec planities magnis Danubii et Dravae exundationibus est obnoxia, quibus paludes et stagna ad Mohács late extensa, denique ea, quae Dravam in cursu suo ad utramque ripam comitantur, satis nota, originem suam debent.

Regionem montosa Comitatus tribus absolvitur monitum tractibus a se invicem separatis, decursum proprium et diversum tenentibus. Horum maxime praecipuus in septemtrionali parte Comitatus situs est, qui ab *Helesfa* inciendo Aquil-orientem versus per *Kővágószöllős*, *Hosszú-Hetény*, *Nádasd* et *Vémend* protenditur, ramum a *Kővágószöllős* per *Abaliget* ad *Szabás* dimitendo. Hicce tractus, septemtrionem versus in regionem collinam abit, quae terminum australem

magnae illius planitiei Hungaricae constituit; Euronotum versus autem in principalem Danubii et Dravae planitem excurrit.

Alter tractus a priori meridiem versus duobus et medio millari germanico distans, a' *Hegyi Sz. Márton* ad *Villány* porrigitur, monte *Harsány* terminum maxime orientalem constituentem.

Tertius Bodolyensis dicitur, et a priori quasi avulsus esse videtur, a quo sesqui millari germanico ortum versus distat. A *Monosztor* ad *Batinam* procurrens, directionem medianam inter ortum et septentrionem in decursu suo observat.

Basim horum montium *Calcarius secundae formationis* constituit, cui formationes seriores impositae sunt. Pertinent itaque haec juga montium ad formationem secundam, seu montes transitorios, respectu actatis medium inter primaevos et tertiae formationis, locum occupantes.

Qua montes transitorii altitudine et extensione sua majori excellunt, non minus et rimis apertis, antrisque cum tophis stalactibusque calcareis.

Calx, qua transitoria, densitate sua, et picturis variis colorum diversissimorum insignitur, qua proprietate nobile marmor Comitatus Baranyensis non tantum varietate, verum et indole sua pro arte statuaria aptissima plurima alia Hungariae antecellit.

Huic calcario transitorio formationes seriores incumbunt, ad quas referuntur:

### Arenarius antiquior

rubri coloris, ejus strata valida sic dictum *Jakobs-Berg* ad *Kővágószöllős* tegunt, indeque meridiem versus per *Cserkút* ad planitem et viam regiam usque extenditur. Textura ejus

granulosa a granis majoribus ad minima variat, materiamque pro lapide molari praestantem suppeditat.

### Arenarius ultimae formationis

receptivitatem magnam erga aëris atmosphaericí influxus exsens (fatiscens), cum segregationibus interdum sphaericis et concentrica testaceis,

### Lithanthraces

arenario ultimae formationis, cui constanter juncti occurunt, et quocum alternant, incumbentes. Decurrunt strata eorum secundum tractum montium a *Quinque-Ecclesiis* Aquil-orientem versus ad *Szabolts*, tum ad *Vassas* (*Váralya Máza* in Comitatu Tolnensi) *Tsászta*, *Szász*, *Kárász* et *Komló*; per quos ultimos sex pagos a jugo montium primario septemtrionem versus diriguntur. Comparatione inter gradus declivitatis stratorum lithanthracum, et planitiei danubialis instituta, suspicari licet, haec strata lithanthracum infra adlutam hanc planitiem danubialem in fundo maris primaevi continuari, et ad occidentales montium Transilvaniae declivitates rursum in conspectum venire, ibique eadem ratione ab oriente ad occasum, uti hic ab occasu ad ortum protendi.

Haec strata lithanthracum regulariter alternant cum arenario et schisto argillaceo; atque a paucorum, ad plurimum pollicum crassitatem occurunt. Neque tamen per fodinarum culturam, vix a 40 annis persistentem ad insimum eorum terminum, seu basim, cui incumbunt, perventum adhuc est.

Ex habitu proprio, quem referunt, ex iis quibuscum in consortio occurunt, denique ex aliis soli, regionisque rationibus, concludere licet, has formationes verisimile ad antiquissimas hujus speciei pertinere.

Comites, qui hujus formationis lithanthracibus proprii esse solent, et cum illis juncti occurunt, omnes et in his adsunt. Huc pertinent praeter jam recensita: Schistus

*lithanthracicus, Ferrum ochraceum argillaceum etc.* Ceterum strata lithanthracum crassitiem stratorum, cum quibus alternant, illam v. g. arenarii neutiquam assequuntur.

Ad has formationes antiquiores, et lithanthraces vegetabilium fossilium, praecipue silicum, spectant, quae hic ubertim reperiuntur.

Alia quaedam mineralia, quae in Comitatu passim occurunt, accuratiorem adhuc investigationem requirunt. Sic dubio subjacet Basaltent ad Szász et Magyar Egregy, Porphyrum feldspathicum ad Vassas et Hosszú-Hetény occurrentes revera eos esse. Accurata horum determinatio magni certe esset momenti, cum dubiis multis, quae respectu geognostico hanc regionem premunt, clariorem affunderet lucem.

### Arena et Calx conchiliacea.

Ab radice lithanthracum ad principalem Danubii et Dravae planitiem, arena, in colles amplos conferta extenditur, cui dein calx ultimae formationis, conchiliacea junguntur, in qua praeter alia mollusca petrificata ad *Fazékas-Boda* et *Kékesd Asteriae* reperiuntur. Sic collis, cui templum parochiale Pécs-váradiense inaedificatum est, ostrea eduli maxima pro parte tegitur. — Hac calcis formationes Quinque-Ecclesiis inter strata lithanthracum occurunt.

---

Principalis ille tractus montium, qui septemtrionalem Comitatus partem percurrit, in altissimam ad Quinque-Ecclesiias assurgit molem, ubi juga ejus communis nomine *Metsék* insigniuntur. Protenditur hic tractus ab Aquil-orientе, ubi Pécsváradiensibus montibus jungitur, austrooccidentem versus ad *Kővágószőllős*, ubi sic dicto Jakob-Berg terminatur. In latere suo septentriones respiciente, *Metskhát*, *Hegyhát* nuncupato, plura juga in septemtrionalem Comitatus partem

7

protensa dimittit, valles amplas, profundas, sylvis densis tectas formantia, respectu botanico parum nota et investigata. Ad meridiem itidem in plura discedit juga passim minora, vallibus amoenis, foecundis sejuncta, agrorum, vinearumque cultura insignia. Inter haec montes *Makár*, *Goldberg*, *Deindol*, aliique, vini, quod proferunt, praestantia, maxime excellunt. Cuncta haec juga meridiem versus in vallim amplam et foecundam Quinque-Ecclesiensem abeunt quae versus austro-occidentem continuatur, cum planicie Dravae tandem confluens.

In radice montis Metsek ipsa urbs posita est, secundum longitudinem suam ab ortu ad occasum decurrentis, situm exhibens venienti, a meridie peregrinatori jucundissimum amoenissimumque, ita ut regio Quinque-Ecclesiensis ad pulcherrimas Hungariae merito referatur. Medium occupat urbs territorii amplissimi, ubertate et foecunditate naturae productorum insignis. Majore tamen illius parte montibus tegitur, ita ut maiorem pro vinearum sylvarumque cultura, minorem pro cerealibus et pascuis offerat plagam.

### Aquae fluentes stagnantesque.

E sinu horum montium scaturigines fere innumerae, aquam purissimam, saluberrimamque fundentes prosiliunt. Propiores, eaeqnc feraciores in urbem ipsam derivantur, ubi aqua in cisternas amplas, quarum non paucae per omnes urbis partes dispersae reperiuntur, collecta, potum limpidissimum sapidissimumque incolis suppeditat. Omnium feracissima ea est, quae ad radicem montis *Tetye* (Germanis *Pulverschampf*) scaturit, et rivo satis ample magnam urbem partem perfluit. Lapsus ejus a scaturagine sua tantus est, ut spatio, quod per quadrantem horae percurrit, ultra viginti molis impellendis par sit. — Aqua igitur, quae ab incolis bibitur mere nisi fontana est, nulla vero putealis, quae ob copiosum, quem solutum gerit salem nitrosum, salsa nimis, nec pro quibusvis technicis domesticis usibus apta est.

Horum fontium rivuli, cursum suum meridiem versus dirigentes, omnes in canalem uniuntur, qui susceptis aquis stagnoram nonnullorum, partem meridionalem territorii perfluit, et in fluvium *Okur* illabitur, qui aquas suas Dravae infundit.

Aquae stagnantes itaque nunc paucae in austroorientale territorii civitatis prostant, cum plurimae per aquaeductum supra memoratum collectae exsiccentur. Solummodo locum illum, quem ante pauca adhuc lustra lacus exiguis (*Balokányi dictus*), multum pulchritudini et svavitati regionis addens, nec utilitate sua, dum purus purgatusque servaretur carens, tegebat, nunc paludes et stagna, vicinam urbis plagam exhalationibus suis mephiticis inficiantia, nec unquam ob fontes et scaturigines ex fundo continuo manantes, exsiccanda, occupant, plantis nonnullis palustribus originem praebentia.

### C l i m a.

Occupat Comitatus Baranyensis, si Banatum et Comitatum Batsiensem excipias, extremum maxime australe Hungariae. In hujus medio, magis tamen septemtrionem versus sub gradu  $46^{\circ} 41'$  lat. ðor. urbs Quinque-Ecclesiensis sub coelo serenissimo, atque in omnem respectum mitissimo ac saluberrimo sita est. Regione tota austrum versus inclinata sit, ut radii solares ad solum fere perpendiculariter incident, unde magnus certe aestate fervor produceretur, nisi montium, sylvarumque umbrosarum vicinia, vegetationisque summa allacritas eum temperarent. Eo non obstante vix est aestas, qua calor ultra  $28^{\circ}$  Reaum. non adscenderet. — Eadem haec ratio, denique quod montes altitudine et situ suo regionem a Boreae impetu defendant, austro vero liber aditus concedatur, causa sunt, quod et hyemes mites ut plurimum decur-

rant, thermometrumque vix unquam infra gradum 9num aut 10num descendat. Duo tantum ultimis quinque lustris adnotati sunt casus, quibus ad  $15^{\circ}$  anno autem  $18\frac{2}{3}^{\circ}$  ad  $17^{\circ}$  delapsum est. — In genere itaque hyems brevis est, autumno humido et nebuloso ad finem Decembris et Januarium saepe protracto, vere autem jam cum Martio ineunte, quod Galanthus nivalis, Anemone hepatica et Pulsatilla, Scilla bifolia, Helleborus odorus, Ornithogalum arvense, Androsace maxima etc. floribus suis annunciant. Helleborum cum pluri- bus aliis plantis haud raro anno exeunte jam florentem videre licet. — Nives, quae interdum majori copia cadunt, vix unquam ultra tres quatuorve dies perstant, cum per ventos ab austro' flantes, solique calcarei teporem mox liquefactae evanescant; ita ut rarissimus hic sit traharum usus. Martio cadentes ad raritates spectant; quin tamen desint casus, ubi et Aprili pluvia mixtae, et in montibus Majo ad finem saepe vergente labantur. Initium itaque veris inconstantia tempestatis, altera ejus medietas constanti serenitate coeli et vegetationis summa luxuria insignitur. Aestas fervida tempestatis et imbris frequentibus, interdum quotidie recurrentibus (nunc a pluribus annis rarioribus), ab occasu et septentrione plurimum adpellentibus obnoxia est; quas frequenter grandines stupendae interdum magnitudinis praecedunt aut comitantur. Vidi anno 1823 grandines cecidisse, quae magnitudine sua eam ovi gallinacei superabant. Saepe tamen serenitas coeli cum aestu intollerabili per septimanias constat, ut totum regnum vegetabile aridum et exsuccum languescat. — Autumnus serenitatem et calorem diei in serum usque Novembrem non raro conservat, noctibus suis frigidis et pruinosis, somnum hyemalem mortemque per universum regnum vegetabile latius inducentibus annum ad finem vergentem annuncians. — Accuratiores observationes meteorologicas continua a loco natali absentia instituere vetuit.

Hae soli atque climatis rationes efficiunt, ut regio Quinque-Ecclesiensis ad saluberrimas Hungariae merito referatur. — Incolae ejus hilaritate et vigore animi excellunt. — A morbis etiam, licet universaliter grassantibus epidemicis et contagiosis, ut plurimum immunis manet. Exemplum luculentissimum morbus ille dirus praebebat, qui ante quatuor annos Hungariam universam peragrans, ad vicinos usque pagos ferociam suam extendebat, urbe ipsa prorsus intacta relicta. Mirum tamen est, morbo hocce ex universo regno jam exterminato, Februario anni sequentis ad finem vergente, alium, non minus lethalem in vicem illius hic caput suum extollisse, qui malignitate sua et ferocia nonnihil illum praestitit. Medicis ob naturam suam singularem et larvatam, ob fallaciam, qua decurrebat perplexis ignotus, nomine triviali „das Geniefeier“ dicebatur, quod cum dolore cervicis in plurimis inchoaret. — Febrim rheumatico - catarrhalem malignam et larvatam probabiliter fuisse, cum statu inflammatorio membranarum mucosarum et serosarum praevalente junctam, plurima demonstrant momenta, morbum praecedentia et comitantia. Individua enim ut plurimum robusta et plethorica, juniora corripuit, refrigerio manifesto, ut causa morbi occasionali, in omnibus admisso; hinc quid mirum, quod medicamentis stimulantibus praepostere in usum vocatis, in statum adynamicum mox transierit, celerrime, et citra expectationem lethalem. Individua morbo correpta vix non omnia occubuerunt; sectio tamen et investigatio cadaveris, quae certius medicos de obscura morbi natura informasset, omnino intermissa fuit.

Disenteriae, et febres intermittentes biliosae, quae ante paucos adhuc annos endemice quovis autumno recurrerunt, et magnas in suburbii inter pueros et infantes strages ediderunt, jam a pluribus annis disparuerunt. Causa horum morborum magis repentinis aëris atmosphaerici vicissitudinibus, et mutationibus temperaturae, diebus nimirum aestuantibus,

noctibus autem frigidis, humidis et nebulosis, denique incuniae, qua infantes sibi relinquuntur, maxime autem genio huic epidemicō universaliter per regnum regnanti, tribuenda esse videtur, quam victui pravo et corrupto inter plebem usitato.

Catarrhus epidemicus, qui cholera vix eliminata, anno 1833 regnum invasit, neque hanc illius partem intactam reliquit. Comparuit mense Junio, et quamquam paucis tantum parceret, in universum tamen nitem tenuit decursum, vix ulli funestum. — Variolae humanae, a multis inde annis non visae, et oblivioni fere traditae, ante duos annos improvisaē aderant, nec oculatis parcentes, quorum plures victimae morbi diri ex societate humana longe adhuc non exterminandi evaserant. In plurimis leviter tantum nec ullis malis relictis decurrabant.

## De vegetatione in genere.

Quod si solum, et in specie montes calcareos vegetationi in genere multum favere assummamus, id quam maxime de montibus Quinque-Ecclesiis adjacentibus praedicare fas erit. Non enim evolutio tantum plantarum insignis, et speciosus, quo excellunt; habitus; sed maxime diversitas et copia earum interdum rarissimarum in loco tam circumscripto, uti territorium urbis est, respectum maximum merentur. Nam ut copiam plantarum cultarum omnis generis et foecunditatem, qua proveniunt taceam, quae solum Quinque-Ecclesiense, et in genere Comitatum Baranyensem Bacchi, Cereris et Pomonaē dotibus ditissimum, ad fertilitissimos et uberrimos Hungariae evehunt, sufficiat commemorasse: quod non obstante exili, quae in inveniendis et colligendis plantis sponte provenientibus adhiberi poterat opera, regionibus nonnullis adhuc prorsus intactis et minus pervestigatis: tamen 1000 in

catalogo adduco species, cryptogamis omnibus exclusis, graminibusque vulgatissimis tantum recensitis. — Comparatione itaque Florae territorii Quinque-Ecclesiensis cum ea Comitatus Pestiensis et universae Hungariae instituta, patet proportionem ejus ad eam Comitatus Pestiensis esse sicuti 1: 1, 4; ad eam vero universae Hungariae sicuti 1: 2,898. Ex his 46; species ad plantas rariores Hungariae spectant, 62 vero in Flora Pestensi desiderantur; unde magna, quæ territorium hoc excellit plantarum ubertas et varietas manifeste apparat. — Multum vero praeter soli præstantiam ad foecunditatem ejus confert situs illius et inclinatio meridiem versus, quo effectum solis in vegetationem amicum, tanto fortius experitur, temperiesque per regionem universam mitior magisque australis inducit, quae vegetationis processum alacriorem quam alibi reddit. Cerasa sub finem Maji, botry initio Augusti maturescere incipiunt, unde vix mirum videbitur vindemias plurimum medio Septembbris, anno 1834 sexta ejusdem mensis, inchoari. Plantae, quae alibi semel tantum, saepe hic bis florere videntur. Hanc observationem præprimis in nonnullis Robiniarum speciebus, præsertim in viscosa et villosa quotannis repete licet, quae frequenter sero adhuc Octobri, aut Novembri tertio flore ornantur. — Incredibilis certe observatur differentia, si limites extremi regni inter se conferantur. Non parum certe mirabar, cum anno 1824 die 21 Septemb. primum Kesmarkinum appulisse, fructus Pruni Armoeniaceae, (arboris ibidem rarissimæ) apud nos jam Junio maturos, ibi hoc tempore plane maturescere conspexisse. Cerasa Augusto maturescunt; dum secale cercale apud nos falcatur, ibi florere incipit. Pruna, aliique fructus, saepissime immaturi adhuc, superveniente frigore in arbore pendentes gelantur.

Diversitas et divitiae vegetationis maxima certe in montibus est. Radices eorum plurimis vineis teguntur, quae in amplam catenam, tractum montium universum prosequentem, unjuntur. Uvac varietate et præstantia excellunt, non minus

et quod largiuntur, vinum. Dispersae inter vites arbores fructiferae australes spontaneae occurunt, inter quas: Amygdalus communis; et persica, Pyrus Cydonia, Ficus carica, Juglans regia, Aesculus Hippocastanum sine omni cultura proveniunt. Lonicera periclymenum, Lycium barbarum, Syringa vulgaris, Clematis vitalba, Colutea arborea, Cornus mascula et sanguinea, Acer tataricum ubique sepes vinearum constituunt. — Non minus et aliae plantae memorandae, uti: Althaea hirsuta et pallida, Allium oleraceum, Anchusa Barrelieri, Arrabis turrita, Atriplex acuminatum, Barkhausia hispida, Cerastium brachypetalum, Euphorbia virgata, Evonymus verrucosus, Fumaria capreolata, Glaucium luteum, et phoenicum, Linaria linifolia, Linum hirsutum, Melica altissima, Myosotis sparsiflora, Rubus glandulosus, Salsola scoparia, Salvia sclarea, Trifolium diffusum et expansum etc. ad vias et margines vinearum ubertim proveniunt.

Hae circiter sunt plantae memorandae, quae altitudinem medianam, eam nimirum, quae a radice montium usque extremum vinearum terminum protenditur, occupant. — Ex his, quae in altioribus tantum montium regionibus saxosis partim, partim et interioribus sylvestribus procreantur, praecipue enumerari merentur: Aconitum Jacquinii, Vinca herbacea, Verbascum rubiginosum, Lathyrus Nissolia, Ophrys bicornis, Artemisia camphorata, Galium pedemontanum et Bauhini, Helianthemum fumana, Medicago prostrata, Serratula blanda et radiata, Rhus Cotinus, Glechoma hirsutum, Mercurialis ovata, Mespilus tomentosa in lapidosis partibus montis Metsek. — Asperula Taurina, Doronicum Nendt-

vichi, *Cerastium sylvaticum*, *Limodorum abortivum*, *Orobus variegatus*, *Ruscus aculeatus* et *hypoglossum*, *Tilia alba*, *Waldsteinia geoides*, *Stachys alpina*, *Lycopus exaltatus*, *Tamus communis*, *Paris quadrifolia* in interioribus sylvae civicae. *Lathyrus sphaericus*, *Veronica orchydaea*, *Orchys hircina*, *Convolvulus cantabricus*, *Agrostemma coronaria*, *Dianthus trifasciculatus*, *Iris variegata* in summitate montis Makár.

Regiones maxime depressas, pratenses, australiē territorii partem tenent plantae: *Cerastium anomalum* et *manticum*, *Digitalis lanata*, *Levcojum aestivum*, *Marrubium remotum*, *Melampyrum barbatum*, *Medicago maculata*, *Melilotus dentata*, *Myagrum perfoliatum*, *Prenanthes pulchra*, *Silene dichotoma*, *Vicia pannonica*, *seratifolia* et *sordida*, *Anchusa paniculata*, *Hesperis runcinata*.

Hac ratione plantae territorii Quinque-Ecclesiensis memorabiliores secundum diversitatem locorum et altitudinis dispositae occurunt. Multae illarum ad unicum tantum eumque circumscriptum locum restringuntur, nec extra illum alibi proveniunt. Spectant huc *Doronicum Nendtvichi*, quod plagam a valle Kisrét haud procul distantem, plures centenas orgyas ambitu suo complectentem occupat, in qua confertissimum et copiosissimum insulas veluti sparsas formans, nec secus alibi occurrit; tum *Lathyrus sphaericus*, hucusque in monte Makár solum inventus, et *Ophrys bicornis*, monti Lapis propria etc.

Haec sunt, quae territorium Quinque-Ecclesiense ex generali his respectibus contemplanti offert. Sequitur elenches plantarum in eodem territorio collectarum, qui quamquam pauca nova, plura tamen fors notanda continet.

Descriptiones trium plantarum, quae elenchum excipiunt, eo consilio adjunxi, cum duae illarum *Ophrys bicornis* et *Doronicum Nendtvichi* penitus novae, hucusque huic tantum regioni propriae esse videantur; *Lathyrus* vero *sphaericus* aequa planta regni hujus rarissima, in nulla florarum indigenarum descriptus occurrat. — *Doronicum Nendtvichi*, cum descriptionibus *Doronici Caucasici* aperte convenire videtur, accuratius investigatum ab eo, si- cuti omni adsini specie multis respectibus discedit, speciemque certo novam hucusque indescriptam constituit.



**INDEX PLANTARUM**  
**in territorio Quinque-Ecclesiensi**  
**sponte crescentium.**

**A.**

- |   |  |
|---|--|
| <i>Absinthium</i> T.<br>vulgare Lam.  | <i>Aethusa</i> L.  |
| <i>Acer</i> L.<br>campestre L.<br>platanooides L.<br><i>Pseudoplatanus</i> L.<br><i>tataricum</i> L.                            | Cynapium L.<br><i>Agrimonia</i> L.<br>Eupathoria L.<br><i>Agrostemma</i> L.<br>coronaria L.<br>Githago L.<br><i>Agrostis</i> L.<br>alba Schrad.<br>canina L.<br>vulgaris With. |
| <i>Achillea</i> L.<br>crithmifolia Wk.<br>lanata Spr.<br>magna L.<br><i>Millefolium</i> L.<br>setacea Wk.<br>tanacetifolia All. | <i>Aira</i> L.<br>aquatica L.<br>canescens L.<br>cespitosa L.<br>cristata Willd.   |
| <i>Aconitum</i> L.<br>galectorum Reich.<br>Jacquini Reich.  | <i>Ajuga</i> L.<br>Chamaepithys Schreb.<br>genevensis L.<br>pyramidalis L.<br>reptans L.   |
| <i>Acorus</i> L.<br>Calamus L.  | <i>Alectorolophus</i> MB.<br>grandiflorus Wallr. Rhinanthus crista galli L.  |
| <i>Adonis</i> L.<br>aestivalis L.<br>autumnalis L.<br>vernalis L.   |  |
| <i>Aesculus</i> L.<br>Hippocastanum L.  |  |

- parviflorus* Wallr. *Rhinanthus minor* Ehr.
- Alisma* L.  
Plantago L.
- Allium* L.  
*Ampeloprasum* L.  
*angulosum* L.  
*arenarium* L.  
*carinatum* L.  
*flavum* L.  
*oleraceum* L.  
*sphaerocephalum* L.  
*ursinum* L.
- Alnus* Gaertn.  
*glutinosa* Gaertn. *Betula*  
Alnus L.  
*incana* Willd.
- Alopecorus* L.  
*pratensis* L.
- Alsine* L.  
*media* L.
- Althaea* L.  
*cannabina* L.  
*hirsuta* L.  
*officinalis* L.  
*pallida* Wk.
- Alyssum* L.  
*calycinum* L.  
*montanum* L.
- Amaranthus* L.  
*prostratus* Balb.  
*retroflexus* L.  
*viridis* L.
- Amygdalus* L.  
*communis* L.
- Anagallis* L.  
*coerulea* Lam.  
*phoenicea* Lam.
- Anchusa* L.  
Barrelieri Dec. *Myosotis* ob-  
tusa Wk.  
*officinalis* L.
- paniculata* Ait — *italica*  
Retz.
- Andropogon* L.  
Ischaemone L.
- Androsace* L.  
*maxima* L.
- Anemone* L.  
*hepatica* L.  
*nemorosa* L.  
*ranunculoides* L.  
*sylvestris* L.
- Angelica* L.  
*sylvestris* L.
- Anthemis* L.  
*arvensis* L.  
*austriaca* Jacq.  
*cotula* L.  
*tinctoria* L.
- Anthericum* L.  
*ramosum* L.
- Anthoxanthum* L.  
*odoratum* L.
- Anthyllis* L.  
*vulneraria* L.
- Antirrhinum* L.  
*majus* L.  
*orontium* L.
- Apium* L.  
*graveolens* L.  
*petroselinum* L.
- Arabis* L.  
*arenosa* Scop.  
Crantziana Ehr.  
*hirsuta* Scop. *Turritis hirsuta* L.  
*Thaliana* L.  
*turrita* L.
- Arctium* L.  
Bardana Willd.  
*majus* Thuil. — *Lappa* L.  
*minus* Pers.
- Arenaria* L.

- |   |   |
|---|---|
